

semen fecundum, juxta hæc verba Prov. XIX, 17 : *Feneratur Domino qui miseretur pauperis* : et experientia constat eos qui eleemosynas sapienter distribuunt, in negotiis suis communiter bene prosperare.

Punctum quintum. — De correctione fraterna.

Quamvis aliquod existat discrimen inter correctionem et correptionem, quatenus correptio, vi verborum, reprehensionem alicujus in ejus emendationem significat, et correctio ipsius emendationem, promiscue tamen hic sumi solent. Triplex autem distinguitur correctio, scilicet judicialis, paterna et fraterna. Correctio judicialis ea est quæ fit auctoritate publica, ad castigationem delinquentis et aliorum terrorem, ut bonum publicum servetur : est igitur actus justitiæ vindicativæ. Correctio dicitur paterna quando pater, superior vel herus corripit inferiorem vi suæ auctoritatis, sine forma judicii, tum ad illius emendationem, tum ad impediendum vel reparandum scandalum. Denique, correctio fraterna est admonitio qua quis conatur ex pura charitate alterum a peccato avertere : nullam igitur supponit auctoritatem. Est actus misericordiæ spiritualis in solius delinquentis utilitatem directus.

Tria hic occurrunt investiganda, scilicet 1º an existat præceptum faciendi correctionem, 2º quæ sint ejus conditiones, et 3º quis ordo in ea facienda servandus sit.

De præcepto correctionis fraternæ.

Existere hujusmodi præceptum constat, 1º ex Scriptura sacra : Eccli. XIX, 13 : *Corripe amicum, ne forte non intellexerit et dicat, Non feci : aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit ; et si dixerit, ne forte iteret.* Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* 2º Ex jure canonico. Decreti parte 2, causa 24, q. 4, can. 14 : « Tam sacerdotes quam reliqui » fideles omnes humanam curam habere debent de his » qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corri-

» gantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab » Ecclesia separentur. » Decretal l. 5, tit. 7, cap. 12, Innocentius III redarguens laicos qui munus prædicandi usurpant, ait : « Cum aliud sit fratrem in se peccantem » occulte corripere ; quod quisque tenetur efficere, secun- » dum regulam Evangelicam. » 3º Ex *S. Th.*, 2 2, q. 33, art. 2, et ex unanimi theologorum doctrina. 4º Ratione. Lege naturali proximum amare et ei indigenti subvenire tenemur : si autem eum amare eique in necessitatibus corporis subvenire teneamur, a fortiori in necessitatibus animæ, ut pote multo majoris momenti. Certe si aliquem videremus ex voluntate perversa se occidere volentem, et multo magis si ex ignorantia vel inadvertentia, eum prohibere conaremur, neque nos a gravi peccato innoxios judicaremur, si eum a tali malo avertere negligeremus : quomodo igitur excusari possemus, si illum in negotio salutis periclitantem videntes, opem ei ferre non curaremus ? Ergo.

Hoc præceptum 1º obligat omnes fideles etiam inferiores respectu superiorum, quando eos utiliter corripere possunt absque suo damno gravi vel levi, pro circumstantiis, quia omnes proximo necessitatem patienti quantum moraliter possunt subvenire tenentur : strictius tamen obligat superiores respectu inferiorum, ut infra, agendo de quarto Decalogi præcepto, dicemus. 2º Obligat sub peccato mortali, quando proximus in peccato mortali vel in gravi periculo mortaliter peccandi versatur, et datur spes emendationis ; sicut enim denegare eleemosynam, urgente necessitate, peccatum est mortale, ita et correctionem fraternam in materia gravi omittere. 3º Obligat etiam, per se loquendo, ubi agitur de peccato veniali impediendo aut corrigendo, sed tantum sub levi, ob parvitatem materiæ. Excipiuntur prælati et superiores religiosorum qui, ex communi doctorum consensu, sæpe culpas veniales inferiorum sub mortali tenentur impedire, propter periculum ne per illas vigor disciplinæ graviter lædatur : secus, ubi tale non existit periculum.

*De conditionibus ad faciendam correctionem fraternam
adhibendis.*

Finis correctionis fraternæ est emendatio delinquentis : prudenter igitur facienda est et modo ad obtinendam persuasionem cordis aptiori. Sequentes requiruntur conditiones, nempe 1^o ut peccatum vel periculum peccandi sit moraliter certum; in dubio enim proximus æstimandus est innocens, quia *charitas non cogitat malum*, I Cor., XIII, 5. Ita doctores etiam rigidiores, ut P. *Antoine*, *Habert*, *Coll. Andeg.*, *Collet*, etc. Et si quilibet Christiani jus sibi arrogarent cæterorum vitam examinandi, scrutandi, iudicandi et promiscue increpandi, ordo reipublicæ christianæ evidenter turbaretur. Sæpe tamen in dubio fundato possuat, imo et debent superiores suos admonere subditos, et in eorum actus publicos ac privatos invigilare, non præcise ratione charitatis, sed ratione officii.

2^o Ut correctio sit necessaria; nam si peccator jam sit emendatus, aut si prævideatur emendandus, aut de perseverantia ejus in peccato vel de futuro illius relapsu dubia tantum sit præsumptio, non existit obligatio correctionem faciendi, nisi ex parte superiorum et ratione officii. Hoc ex prima conditione sequitur.

3^o Ut affulgeat spes emendationis; correctio enim fraterna ad bonum spirituale proximi ordinatur : ergo non facienda est quando ei potius obfutura quam profutura prævidetur. Non tamen requiritur spes certa; spes probabilis sufficit, modo non sit probabilius vel æque probabile monitionem futuram esse nocivam; nam in ea anxietate ab ea facienda abstinendum est, nisi honor Dei, scandalum avertendum aliave gravis ratio eam non omittendam suadeat. *Habert* et, post eum, *Collet* notant nos eos, quorum ingenium nobis est ignotum, corrigere non teneri, ob quodvis peccatum mortale, ne potius fiant pejores quam corrigantur; et id magis temporibus nostris verum est.

4^o Ut sit urbana, ab omni asperitate, despectione aut exprobrio aliena, conditioni personarum accommodata, paterna erga inferiores, benigna erga æquales, reverentia-

lis erga superiores, et respectu omnium charitate plena.

5^o Ut sit opportuna; nam « Actus virtutum, » inquit *S. Th.* 2 2, q. 33, art. 2, concl. « non quolibet modo fieri » debent, sed observatis debitis circumstantiis quæ requiruntur ad hoc quod sit actus virtuosus, ut scilicet fiat » ubi debet, et quando debet, et secundum quod debet. » Non igitur semper facienda est correctio statim ac peccatum cognoscitur.

6^o Ut non sit alius ad faciendam correctionem magis idoneus quam qui eam facturus est, quia tunc frater delinquens correctione tua non indigebit : secus, si magis idoneus eam sit omissurus.

7^o Ut grave non timeatur damnum; bonum enim proximi cum gravi detrimento nostro procurare non tenemur, nisi juxta regulas superius, p. 144 et seq., expositas. Non tamen omittenda foret correctio propter aliquam delinquentis tristitiam, vel iram cum aliqua culpa, modo futura rationabiliter speraretur emendatio.

Hic quærere solent theologi an corripiendus sit qui peccat ex ignorantia invincibili : pro solutione hujus quæstionis remittimus ad Tractatum *de Pœnitentia*, ubi de obligatione interrogandi penitentes.

De ordine in facienda correctione servando.

Servandus est ordo ab ipso Christo, *Matth.* XVIII, 15, præscriptus, his verbis : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum solum... Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Ille ordo obligat per se sub gravi sicut ipsa præcepti substantia; eodem modo enim a Christo præcipitur et ratione fundatur; siquidem famam proximi lædere non licet absque necessitate. Unde si monitio secreta sufficiat, non adhibendi sunt testes; si unus testis sufficit, non licet adhibere plures; si testes non sufficiunt, res denuntianda est superiori qui, pro sua prudentia, iudicabit quid agendum expediat.

Fieri tamen potest ut ille ordo ex justa causa merito invertatur, et peccatum proximi statim superiori deferatur; v. g., in sequentibus casibus :

1° Si sit publicum, quia cessat ratio famam delinquentis servandi, et non solum ipsius emendatio, sed reparatio scandali procuranda est : si culpa nondum devenerit in publicum sed in via sit deveniendi, etiam denuncianda est, ut scandalo futuro occurratur.

2° Si peccatum, licet occultum, in aliorum spirituale vel temporale detrimentum vergat, ut parata proditio, occisio, honorum alienorum subreptio, maleficium, hæresis, juvenum vel puellarum corruptio, clericorum indigna promotio, etc., et fundata non existat spes malum per secretam monitionem avertendi, statim facienda est denuntiatio. Ita *S. Th.*, 2 2, q. 33, art. 7, et cum illo omnes theologi; ratio est, quia bonum commune præferendum est bono privati, et etiam bonum innocentis bono voluntarie lædentis.

3° Ubi prudenter judicatur secretam monitionem non esse profuturam, ut fieri solet respectu eorum qui ex contemptu vel ex habitu peccant, denuntiatio statim fieri potest.

4° Si quis rogatus satisfactionem debitam concedere nolit, læsus ad superiorem statim recurrere potest, quia jure suo utitur.

5° Patres societatis Jesu speciali subjiciuntur constitutioni vi cujus omnes eorum defectus et errores ad superiorem immediate deferri possunt : vota sua emittendo, huic constitutioni se subjiciunt, ac proinde jure suo sub hoc respectu cedunt. Falsum est autem professionem religiosam hujusmodi juris ad famam cessionem ex natura sua continere, ut recte advertit *Collet*.

§ III.— De vitiis charitati oppositis.

Omnia peccata charitati generaliter sumptæ adversantur et eam destruunt vel formaliter, si sint mortalia; vel dispositive, si sint venialia : quædam tamen specialius dicun-

tur charitati opposita, et a *S. Th.* 2 2, q. 34 et seq., numerantur : odium Dei, odium proximi, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, bellum injustum, rixa, seditio et scandalum. De acedia et invidia sufficienter diximus in *Tractatu de Peccatis*; de bello injusto dicemus ad quintum Decalogi præceptum; de cæteris in duplici puncto dicturi sumus.

Punctum primum.— *De odio Dei et proximi, discordia, contentione, schismate, rixa et seditione.*

De odio Dei.

Odium est actus mentis objectum aversantis. Duplex est, scilicet abominationis et inimicitiae. Odium abominationis illud est quo rem vel personam aversamur, ut nobis vel nostris malam. Odium istud erga proximum potest habere pro objecto ipsius personam, et dicitur odium personæ; vel qualitates personæ, et appellatur odium qualitatis.

Odium inimicitiae est illud quo, ex displicentia personæ, malum ei optamus.

Certum est odium Dei sive inimicitiae, sive abominationis, gravissimum esse peccatum, quia rationem formalem charitatis evertit et supremum bonum summe diligendum contemnit. Unde enormiter peccant qui optant Deum non esse, peccata non videre, vel non punire; qui de virtute aut ejus mercede tristantur, de offensa Dei gaudium percipiunt, etc. Odium Dei levitatem materiæ pati non potest.

De odio proximi.

1° Odium inimicitiae erga proximum est peccatum ex genere suo mortale; fraternæ enim charitati directe adversatur. Unde *S. Joannes*, I Epist. III, 14 : *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Potest tamen esse veniale, nempe si, ex levi displicentia personæ, leve malum opte-

tur; et raro est mortale, inquit *Billuart*, quando est simplex displicentia vel aversio personæ, absque eo quod ei aliquod malum optetur. Est tamen periculosum maxime si diu durat, quia ex se inducit ad exoptandum malum, aut ad complacendum in malis personæ accidentibus.

2^o Odium qualitatis personæ inordinate conceptum, est peccatum mortale vel leve, juxta gravitatem aut levitatem materiæ, quia tunc penitus excusari non potest: si recte ordinetur, id est, si ex amore Dei, ex zelo pro virtute et contra vitium procedat, ita ut non persona, sed ejus peccatum aversioni habeatur, potius laude quam vituperio est dignum; est enim actus veræ charitatis, et ideo dicitur in Prov. XXIX, 27: *Abominantur justi virum impium*, in Ps. CXXXIII, 21: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam... perfecto odio oderam illos; super quæ verba S. Aug. ait: « Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia » homines oderis, nec vitia propter homines diligas. »*

3^o Declarandæ sunt in confessione 1^o qualitas personarum quæ odio habitæ sunt, v. g., parentes, avi, uxor, maritus, filii, fratres, benefactores, superiores ecclesiastici aut civiles, et alii similes, quia variæ illæ circumstantiæ speciem mutant, vel saltem aggravant peccatum; 2^o quantitas seu numerus personarum, quia tot sunt malitiæ quot personæ; 3^o natura mali quod eis fuit exoptatum, v. g., an læsio in fama vel in bonis, an morbus, an mutilatio, an mors, an damnatio æterna, etc. Patet quippe gravitatem peccati ex genere malorum quæ exoptantur pendere.

4^o Semper autem illicitum est malum exoptare vel imprecari proximo, ut malum ejus, aut de eo gaudere, vel de bono ejus tristari, quia hoc charitati directe adversatur et ex genere suo est peccatum mortale. Item de malo proximi gaudere, non quatenus est malum ejus, sed propter minus bonum nobis vel alteri obventurum, v. g., de morte patris ob hæreditatem inde provenientem. Unde Innocentius XI sequentes damnavit propositiones: « Licetum est » absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut » malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum » obventura est ei pinguis hæreditas. Licetum est filio gau-

» dere de parricidio in ebrietate perpetrato, propter in- » gentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

5^o » Potest (tamen) aliquis, salva charitate, optare ma- » lum temporale alicui, et gaudere si contingit, non in » quantum est malum illius, sed in quantum est impedi- » mentum malorum alterius quem plus tenetur diligere, » vel communitalis, vel Ecclesiæ; similiter de malo tem- » porali ejus, secundum quod per malum penæ impeditur » frequenter malum culpæ ejus. » Sunt verba *S. Th.* in 3 dist. q. 33, art. 1, ad 4. Hinc licet 1^o desiderare ut insignis peccator morbo vel ærumnis ad meliores fruges adducatur; 2^o optare mortem persecutoris, propter bonum Ecclesiæ bono privato anteponendum; 3^o gaudere de justo hostium excidio ob regni utilitatem, etc.

6^o Maledicus vel imprecator qui malum sibi vel aliis optat evenire, graviter vel leviter peccat, juxta naturam mali quod intendit, affectum quo movetur, vel ratione scandali aut contumeliæ. Omnes igitur circumstantiæ sedulo pensandæ sunt, ut gravitas peccati recte noscatur.

De discordia.

Discordia opponitur concordia, quæ est cordium seu voluntatum unio: est igitur voluntatum dissensio in iis in quibus ex divina vel fraterna charitate consentire tenemur.

Est peccatum ex genere suo mortale, ut patet 1^o ex Prov. VI, 19, ubi dicitur Deum odisse ac detestari *eum qui seminat inter fratres discordias*; 2^o ex B. Paulo, Gal. V, 20, qui *dissensiones* computat inter opera quæ a regno Dei excludunt; 3^o ex ratione; discordia enim evidenter opponitur charitati, cujus finis est voluntates unire.

Qui tamen bona fide aliquid judicat malum vel minus bonum quod alter credit bonum vel melius, aut leve aut nullum esse potest peccatum, si absit pertinacia, et charitatis signa nihilominus sibi invicem exhibeant dissidentes: sic excusatur dissensio inter Paulum et Barnabam, in Act. XV relata.

De contentione.

Contentio in contrarietate verborum consistit, sicut, discordia in contrarietate voluntatum, et definitur *Altercatio verborum quibus unus inordinate alteri contradicit.* Ex natura sua est peccatum mortale; numeratur enim ab Apostolo, Gal. v, 20, inter opera quæ a regno cælorum excludunt, et charitati per se graviter adversantur. Supponitur tamen impugnari serio veritatem ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam aut bonum proximi pertinentem, quæ nota est, vel cognosci potest et debet; si enim veritas exercitii causa impugnaretur, sine scandalo et acrimonia nullum esset peccatum; aut si materia sit levis, aut inordinatio sit tantum in modo, v. g., cum nimio clamore, seclusis scandalo et conviciis, peccatum est duntaxat veniale.

De schismate.

Schisma, a verbo græco σχίσμα, significat scissionem, divisionem, et est voluntaria baptizati ab unitate Ecclesiæ separatio, retenta Christiani nominis professione. Non omnis ergo inobedientia vocatur schisma, sed ea tantum quæ fit cum intentione saltem indirecta se ab unitate Ecclesiæ separandi.

Schisma gravissimum est peccatum, cum summum Ecclesiæ bonum, nempe unitatem, tollat, et ita illud semper judicarunt Patres ac doctores.

De rixa et seditione.

Rixa est pugna manuum et verborum privata auctoritate facta. In aggressore est peccatum ex genere suo mortale, quia charitati essentialiter opponitur, et a B. Paulo inter peccata ingressum cæli excludentia numeratur: in eo qui se cum debita moderatione defendit nullum est peccatum; in eo qui modicum excedit, est peccatum veniale, et in eo qui multum excedit, peccatum est mortale. Ita *S. Th.* 2 2, q. 41, art. 1, et cum illo omnes theologi.

Seditio est tumultuosa aggressio unius partis reipublicæ contra aliam vel contra principem. Non est dubium quin per se gravissimum sit peccatum, cum paci et bono publico evidenter adversetur.

Punctum secundum. — De scandalo.

Scandalum est vox græca idem significans ac offendiculum: lapis in via positus est offendiculum seu scandalum respectu iter agentium, præsertim cæcorum et infirmorum. Sic pariter in via salutis, factum aut dictum unius ita positum ut alii in illud impingant et ruant, est respectu illorum offendiculum seu scandalum.

Duplex est scandalum, *activum* seu *datum*, et *passivum* seu *acceptum*.

Scandalum *activum* definitur a *S. Th.* 2 2, quæst. 43, art. 1: *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ.*

Per dictum et factum intelliguntur etiam omissiones eorum quæ dici aut fieri debuissent: sic parentes scandalum præbent filiis, non arguentes eos qui coram illis peccant, aut propria religionis officia negligent.

Dicitur *minus rectum*, non vero malum, quia scandalum præberi potest per aliquid in se bonum, sed quamdam speciem mali habens; ut si vir religiosus carnem ex dispensatione die veneris manducet coram personis dispensationem ignorantibus.

Dicitur *præbens alteri occasionem ruinæ*, non vero ruinam, seu peccatum causans; quia peccatum est actus voluntatis personæ peccantis, et ab intrinseca causa effici non potest. Neque ad rationem scandali requiritur ut ruina sequatur, modo illius præbeatur occasio: nec datur scandalum per actiones etiam pessimas et publicas, si nulla præbeatur alteri occasio peccatum faciendi; sed potius horror excitatur, ut quandoque accidit.

Scandalum *activum* seu *datum* potest esse directum vel indirectum. Est directum quando ruina proximi intenditur, vel ut ipsius ruina, quod est diabolicum et rarum

inter homines; vel ad propriam scandalizantis satisfactionem, quod frequenter contingit. Dicitur vero indirectum quando ruina spiritualis proximi non intenditur, sed praevidetur aut praevideri potest et debet ex actione quae ponitur secutura.

Scandalum *acceptum* seu *passivum* est ipsamet ruina spiritualis ex alterius facto vel dicto secuta: si ex facto aut dicto minus recto proveniat, est scandalum simul datum et acceptum; si ex facto aut dicto nullam ex se vel ex intentione agentis aut loquentis occasionem ruinae praebente, est duntaxat scandalum acceptum. Et duplex est, unum pharisaicum et alterum pusillorum. Dicitur pharisaicum quando ex pura scandalizati malitia oritur, ut apud doctores Judaicos qui, ut perderent Jesum, fingebant se ex illius verbis aut factis scandalizari; appellatur vero pusillorum, quando ex ignorantia vel infirmitate scandalizati oritur.

Patet ex dictis quandoque existere scandalum activum sine passivo, et quandoque passivum sine activo.

Nunc examinandum est quale peccatum sit scandalum activum seu simpliciter dictum, quænam sint omittenda ad illud vitandum, et quid faciendum ad illud reparandum.

Quale peccatum sit scandalum.

1° Scandalum datum seu activum ex genere suo est peccatum mortale, ut constat 1° ex verbis Christi, Matthæi XVIII, 6: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis! necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit!* 2° ex verbis B. Pauli, Rom. XIV, 15: *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulat. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est;* et I Cor. VIII, 13: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem;* 3° ex ratione, proximo enim aliquam

necessitatem corporalem aut spirituales patienti succurrere ex gravi præcepto tenemur: ergo a fortiori et offendiculum illi non præbere: ergo.

2° Potest tamen esse veniale ratione levitatis materiae, ut si quis excitetur ad peccandum venialiter, defectu advertentiæ aut consensus, aut quia levis est influxus in alterius peccatum. Gravitas autem vel levitas scandali non desumitur ex natura culpæ scandalizantis, sed ex ejus influxu in alterius peccatum et ex natura hujus peccati: sic fieri potest ut peccatum grave sit tantum leve in ratione scandali, et peccatum leve vel actio, in se innoxia, sit peccatum grave, quia alium vel alios efficaciter determinat ad peccandum mortaliter.

3° Generaliter docent theologi scandalum directum duplicem habere malitiam in confessione aperiendam, unam scilicet contra charitatem, et alteram contra virtutem ad quam lædendam inducitur proximus: v. g., puellam inducis ad fornicandum, peccas contra charitatem erga illam et contra castitatem, etiamsi tu ipse fornicari non intendas.

4° Multo communius etiam docetur scandalum indirectum duplicem similiter induere malitiam in confessione exprimendam. Videlicet 1° lædit charitatem sicut scandalum directum; si enim tenemur ex charitate proximum corrigere, cum possumus malum ejus avertere, quanto magis cavere debemus ne eum impellamus ad malum exemplo aliove incitamento; 2° lædit virtutem cui opponitur peccatum ad quod proximus inducitur; etsi enim malum exemplum non sit causa alterius peccati efficax, est tamen illius causa moralis, sine qua proximus non peccasset: ergo malitia hujus peccati vere imputanda est scandalum præbenti sicut et ei qui ex scandalo determinatur ad peccandum. Ita S. Ligorius, l. 2, n. 45, et plures apud ipsum et communiter theologi nostri.

5° Plures contenderunt quod præbere occasionem peccandi ei qui jam paratus est ad peccandum, non esset peccatum contra charitatem; sed S. Ligorius, multos nimiae rigiditatis non suspectos pro se citans, hanc senten-

tiam fortiter impugnat et rejiciendam esse demonstrat, præsertim quia peccator actu externo notabiliter majorem ruinam sibi infert.

6^o Hinc 1^o qui alios ad peccandum induxit, declarare debet genus peccati aut peccatorum, et, quantum moraliter potest, numerum scandalizatorum; 2^o qui coram aliis peccavit, v. g., blasphemavit, turpia fecit aut dixit, communiter hanc circumstantiam declarare tenetur propter scandalum aut scandali periculum; 3^o etiamsi alter ex perverso tuo exemplo non peccaverit, teneris tamen scandali circumstantiam exprimere, si reipsa occasionem peccandi præbueris.

Quæ sint omittenda ut vitetur scandalum.

1^o Certum est strictam dari obligationem omittendi ea quæ mala sunt, non solum quia mala sunt, sed etiam ratione scandali inde secuturi; nulla enim existere potest ratio faciendi quod malum est, et aliunde existit obligatio, ex præcepto charitatis, vitandi scandalum. Ergo.

2^o Similiter nunquam licet minus consulere malum, aut ad illud alia ratione positiva inducere ad vitandum majus; quia non sunt facienda mala, quantumvis parva, ut eveniant bona, et quod in se malum est fieri non potest bonum propter finem intentum: liceret tamen detertere aliquem a graviore malo, prævidendo eum aliud minus certo esse facturum, modo ad istud positive non inducatur.

3^o Opus ex se bonum et nullam speciem mali habens omittere non tenemur ob scandalum pharisaicum, si adsit rationabilis causa illud non differendi; nam, cum hujusmodi scandalum ex malitia scandalizati oriatur, ei soli tribuendum est, et si ad illud vitandum a bonis operibus abstinendum esset, perversi bona opera impedire possent cum vellent. Unde Christus dixit discipulis referentibus quod Pharisei ex dictis et factis ejus scandalizarentur: *Sinite illos; cæci sunt et duces cæcorum*, Matth. xv, 14.

Si autem rationabilis non esset causa opus illud statim

faciendi, differri deberet ad vitandum hujusmodi scandalum, quia vera charitas abhorret a peccato etiam ex alterius malitia orituro et Deum offensuro.

4^o Opus ex omni parte bonum, sed nulla lege præscriptum, si vergat in utilitatem privatam tantum, occultari aut differri debet, propter scandalum pusillorum, donec ratio sic agendi fuerit exposita; ex præcepto enim charitatis ruinam pusillorum impedire tenemur, cum absque notabili detrimento possumus: at, in eo casu, scandalum absque notabili detrimento vitare possumus, cum bonum de quo agitur non sit necessarium, et aliunde illud differendo vel omittendo, actum charitatis exerceamus. Ergo, etc. Si autem actus virtutis non præscriptus ad notabilem utilitatem publicam respiciat, non est omittendus propter scandalum aliquorum infirmorum; nec etiam si notabilis sit utilitas privata, et ratio sic agendi sufficienter fuerit exposita, quia tunc scandalum est pharisaicum et contemnendum.

5^o Controvertitur an omittenda sint bona humana lege præscripta, ad vitandum scandalum pusillorum. Plures negant, quia leges humanæ non cessant obligare propter aliorum peccata, et major est obligatio positivum implendi præceptum, quam aliorum prævaricationes impediendi. Alii vero communius et probabilius docent ea tunc omittenda esse, quia naturale existit præceptum de non præbendo scandalo; ubi autem duo occurrunt præcepta gravia, unum naturale et alterum positivum, naturale præferendum est. Ergo. Ita *Layman, Busenbaum, Suarez, Tourneley, P. Antoine, Collet, Billuart, S. Liguorius*, etc. Hinc mulier quæ prævidet quod si jejundet vel sacro assistat, maritus inde offensus in blasphemias, imprecationes et in alia hujusmodi ex ignorantia prolapsurus sit, ea præcepta occulte implere debet si possit; si non possit, ea omittere potest, donec, rationibus expositis, occasio scandali tollatur.

Sed quid, si agatur de præcepto naturali vel divino positivo? Præcepta negativa nunquam violari possunt ad vitandum scandalum, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; præcepta vero affirmativa, tum divina posi-

tiva, tum etiam naturalia, quæ impleri non possent absque gravi pusillorum scandalo, in hac occurrentia probabilius non obligant, saltem in multis casibus qui gravi iudicio pensandi sunt. Ita multi apud *S. Lig.*, l. 2, n. 51. Sic sacra communio est de præcepto divino in articulo mortis et tamen quandoque omitti potest propter scandalum; v. g., non deferretur in lupanar ad meretricem vere pœnitentem: depositum ex jure naturali tempore fixo reddi debet, et nihilominus ejus restitutio differri potest, si gravis ejus prævideatur abusus, etc.

6^o Bona temporalia quorum non sumus domini, sed tantum administratores, qualia sunt bona ecclesiarum, hospitorum, pupillorum, dimitti non possunt ad vitandum scandalum etiam pusillorum, quia non habemus potestatem dominium eorum ad alios transferendi. Monent tamen sapientes auctores exactionem eorum differendam esse donec instruantur debitores de obligatione sua, et si, facta monitione, scandalum adhuc perseveret, procurandum esse assensum Ecclesiæ, si de bonis ecclesiasticis agatur, ut debitum ex parte vel ex toto remittatur.

7^o Si bona propria obtineri aut servari non possint sine pusillorum scandalo, aut totaliter dimittenda sunt, aut aliter sedandum est scandalum, scilicet per aliquam monitionem, ut ait *S. Th.* 2 2, q. 43, art. 8; facta autem monitione de veritate justitiæ, scandalum evadit pharisæicum, et de illo non amplius curandum est. Imo *Sanchez*, *Sporer*, *Suarez* et alii plures dicunt nunquam esse obligationem gravem patiendi magnam jacturam in bonis propriis, ne proximus patiat scandalum etiam ex infirmitate, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Vide *S. Ligorium*, l. 2, n. 52.

Queritur an herus vel domina aliquid ponere possit furandum filiis vel famulis, ut probitatem eorum cognoscat, et maritus occasionem adulterandi uxori ut fidelitas ejus probetur.

R. 1^o. Communiter docent theologi licitum esse occasionem jam existentem non auferre, et observare quid adventurum sit, ut peccantesprehendantur, puniantur

et resipiscant; nam tunc unum rationabiliter permittitur peccatum ut plura impediatur, vel ut innocens a damno servetur. Sic *P. Antoine*, *Tournely*, *Dens*, *S. Ligorius*, etc.

R. 2^o. Probabiliter non licet occasionem de industria ponere ad probitatem aut infidelitatem eorum tentandam, quia esset positiva inductio ad peccatum. Sic iidem theologi et alii non pauci. Non tamen desunt qui contrarium teneant ut probabile, et confirmare nitantur exemplo *Judith*, quæ suis ornamentis tentavit cor *Holophernis*, ut eum libidine captum occideret sicque populum suum liberaret. Ita *Layman*, *Bonacina*, *Viva*, *Busenbaum*, *Collet*, et alii plures apud *S. Ligorium*, l. 2, n. 58, dicentes *Judith* in ea occasione non peccasse, quia ex gravi causa licet facere actionem in se bonam qua alter prævidetur ex malitia sua abusurus.

Vide ea quæ diximus in *Tractatu de Actibus humanis*, de cooperatione ad aliorum peccata.

Quid faciendum est ad reparandum scandalum.

1^o Cessandum est a dicto vel facto occasionem ruinæ præbente: ratio patet.

2^o Meliori quo fieri potest modo retractari debent consilia iniqua, malæ suasiones et alia hujusmodi, ac manifestanda est displicentia de perverso exemplo aliis præstito. Insuper curandum est ut hujusmodi retractatio et displicentia manifestatio iis omnibus innotescat qui ad malum fuerunt inducti vel deinceps induci possent. Unde qui, v. g., per scripta obscena, hæretica, impia, diffamatoria alios incitavit ad peccata, hæc per nova scripta quantum poterit retractare tenebitur; qui leges divinas aut ecclesiasticas publice violavit, easdem nunc publice servare debet; et nisi hoc faciat, ad sacramenta admitti non potest.

ARTICULUS QUARTUS.

DE RELIGIONE.

Religio est virtus moralis, nos inclinans ad reddendum Deo, tanquam rerum omnium principio, cultum debitum.